

Leo interim post repudiatam Clementiam celebres nuptias habuit Brunswici, ducta in uxorem Mathilde Regis Anglorum filia; quam mirificè commendat Arnoldus Lubecensis à pietate & liberalitate in pauperes: ex qua Dux post suscepit filiam Richesam, filiosque Henricum, Luderum, Ottonem & Wilhelmum. Nec tum erat inter Germaniæ Principes Leone quisquam opibus & potentia & splendore nominis fortunatior ac formidabilior; quippe qui præter Ducatum Bavarix & utriusque Saxonix, Orientalis & Occidentalis, Sclaviam quoque à se domitam conjunxerat; eoque jam magnis se Regibus æquatum ferebat, ducta regia in matrimonium filia; è quo felicitatis fastigio uti fortuna cum excusserit, tempori memorandum.

Cleinsorg. in
Chron.
Gelen. in
auctuar. S.
Engelb. p.
308.
Initia
Cœnobij
Bredela-
riensis.

Ceterum hoc anno conditum est à Philippo Coloniensi Archiepiscopo in Ducatu Westfalix Cœnobium Bredelariense Præmonstratensium Virginum, haud procul Patberga & Monte Martis, intra veteres diœcesis Paderbornensis terminos, eoque Evergisi Episcopus noster postulatus à Philippo. Tabulæ verò foundationis consignatæ extant, quibus Evergisi Episcopus Paderbornensis, Henricus Comes Arnsbergensis, Otto Comes Ravensbergensis, & Hermanus filius ejus, Everhardus Comes de Altena, & Arnoldus filius ejus, Comes Henricus de Frotzberg, Bernardus de Lippia, multique præterea Præpositi & Canonici Colonienses, Proceres ac nobiles Westfalix, quos Archiepiscopus convocavit, testes subscripserunt. Verùm quòd hæ tabulæ Callisto Pontifice scribantur confectæ, dandum id fuit Friderici Imperatoris literis, ne quis alius, quàm Callistus ille reciperetur Pontifex; ut hic labes quædam schismatis notetur, qua Archiepiscopus ac ceteri aspersi videri possunt.

Annus Christi 1171.

Alexandri III Pont. 12.

Friderici I Reg. 20. Imper. 17.

Evergisi Ep. Pad. 12.

Godefr.
Gobelin.

Imperator dehinc anno consequenti in ordinanda Rep. occupatus, Coloniam accessit; acceptaque à Coloniensibus non modica argenti summa, cives in gratiam recepit. Ita quidem Godefridus scribit, nulla tamen causa offensionis memorata. Verisimilè habeas cives Alexandro Pontifici propensius hæsisse, quàm Imperatoris exacerbatio ferre potuerit. Advenère per id tempus Coloniam Legati Manuelis Græcorum Imperatoris, expetentes filiam Friderici Imperatoris filio suo in matrimonium. Inde Cæsar Aquisgranum transijt, qua in urbe magnam anni partem exegit.

Albert.
Stad. in
Chron.
Crantz. lib.
6. Sax. c. 29.

Per id tempus Henricus Leo Dux noster, pacatis in Saxonia rebus, voti quod fecerat persolvendi causa, peregrinationem in Palæstinam suscepit. Id licet Albertus Stadenfis & Crantzius ad annum sequentem,